

GEORGIUS PROCHASKA

# Dissertatio Inauguralis Medica De Urinis

Gerold  
Viennae  
1776

# EOD – Millionen Bücher nur einen Mausklick entfernt! In mehr als 10 europäischen Ländern!



## **Danke, dass Sie EOD gewählt haben!**

Europäische Bibliotheken besitzen viele Millionen Bücher aus der Zeit des 15. – 20. Jahrhunderts. Alle diese Bücher werden nun auf Wunsch als eBook zugänglich – nur einen Mausklick entfernt. In den Katalogen der EOD-Bibliotheken warten diese Bücher auf Ihre Bestellung - 24 Stunden täglich, 7 Tage die Woche. Das bestellte Buch wird für Sie digitalisiert und als eBook zur Verfügung gestellt.

## Machen Sie Gebrauch von Ihrem eBook!

- Genießen Sie das Layout des originalen Buches!
- Benutzen Sie Ihr PDF-Standardprogramm zum Lesen, Blättern oder Vergrößern. Sie benötigen keine weitere Software.
- *Suchen & Finden*: Mit der Standardsuchfunktion Ihres PDF-Programms können Sie nach einzelnen Wörtern oder Teilen von Wörtern suchen.\*
- *Kopieren & Einfügen* von Text und Bildern in andere Anwendungen (z.B. Textverarbeitungsprogramme)\*

\* Nicht in allen eBooks möglich.

## Allgemeine Geschäftsbedingungen

Mit der Nutzung des EOD-Services akzeptieren Sie die allgemeinen Geschäftsbedingungen. Die Benutzung erfolgt ausschließlich für private nicht kommerzielle Zwecke. Für alle anderen Zwecke kontaktieren Sie bitte die Bibliothek.

- Allgemeine Geschäftsbedingungen in Englisch: <http://books2ebooks.eu/odm/html/muw/en/agb.html>
- Allgemeine Geschäftsbedingungen in Deutsch: <http://books2ebooks.eu/odm/html/muw/de/agb.html>

## Weitere eBooks

Schon über 30 Bibliotheken in mehr als 12 europäischen Ländern bieten diesen Service an.

Finden Sie weitere Bücher zur Digitalisierung: <http://search.books2ebooks.eu>

Mehr Information: <http://books2ebooks.eu>

Institut für Geschichte der Medizin  
Wien

D4873

14.9

Bibliothek  
der k. k. Gesellschaft  
der Aerzte in Wien

N<sup>o</sup> 1124

# DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

DE

# URINIS,

QUAM

IN ANTIQUISSIMA, AC CELEBER-  
RIMA UNIVERSITATE VINDOBO-  
NENSI PUBLICÆ DISQUISITIONI

SUBMITTIT,

GEORGIUS PROCHASKA  
LISPICIO - MORAVUS.

DISPUTABITUR IN UNIVERSITATIS  
PALATIO

Die 5<sup>ta</sup> Mensis Novembris MDCCLXXVI. 69

---

VIENNÆ AUSTRIÆ,  
TYPIS JOSEPHI GEROLD,  
AULICÆ IMPERIALIS TYPOGRAPHI.



UNIVERSITY OF MICHIGAN

LIBRARY

III

UNIVERSITY OF MICHIGAN

LIBRARY

UNIVERSITY OF MICHIGAN

D 4.873

UNIVERSITY OF MICHIGAN

1965/1492

22




7

UNIVERSITY OF MICHIGAN  
LIBRARY





## PRÆFATIO.



**Q**uadriennii ab hinc jam elapsi summo cum gaudio & gratitudinis affectu recordor, & recordabor, quoad vixero, idque inter felicissima vitæ meæ momenta nunquam non reputaturus sum. Hocce enim temporis decursu ad plurima eaque vere paterna beneficia, quibus me **CELEBERRIMUS** ac **MAGNIFICUS PRÆCEPTOR**

**ANTONIUS DE HAEN**, cu-  
 jus luctuosissima mors omnes  
 Discipulos suos æque, ac totum  
 Orbem Litteratum contristatur  
 summopere, tam abunde cumu-  
 laverat, id adhuc emolumentum  
 accessit, ut in ejusdem Nosoco-  
 mio suis ægris ipsique medenti  
 perpetuo assistere licuerit mihi.  
 Neque hoc unicum est, unde mi-  
 hi gratuler vehementer, quod  
 hac occasione sub **TANTI VIRI**  
 directione in medendi metho-  
 do tantopere proficere potuerim;  
 verum quod præterea adhuc  
 alii Medicinæ parti excolendæ  
 oportunitatem nactus sim maxi-  
 mam. **ANATOMIAM** volo:  
 in



in qua, antea quidem jam fervide coli cœpta, toto hoc temporis spatio me magis & magis anatomicis dissectionibus perficere studueram. Cadavera humana hunc in finem mihi erant numerosissima partim ex parvo illo in Nosocomio demortuorum numero, partim suspenforum ac submersorum suffocatorumque ad nos delatorum; quibus accessit ingens sane cadaverculorum infantum & puerorum Civici Nosocomii copia, & horum defectum ex aliis Nosocomiis accersita cadavera semper supplere potuerant.

Haud exiguum auxilium mihi attulerat amicitia, imo fraternam potius caritatem dixerō, **CLARISSIMI DOMINI BARTH**, Professoris Anatomiae & morborum oculorum in Celeberrima & antiquissima nostra Universitate dignissimi; **VI-RI**, sua in dexteritate, sua in affabilitate, & amore erga proximum omni exceptione majoris. Per hunc me in Anatomia, in usu Microscopiorum, inque aliis ingeniosissimis & necessariis ad Anatomiam exercendam adminiculis profecisse plurimum publice fateror, asseverans, quod nunquam alia  
 quam

quam dulcis & grata tantorum beneficiorum mihi futura sit recordatio.

Tantis auxiliis suffultus cum fuisset, evenire non potuit, quin etiam in loca ab aliis Anatomicis nondum, aut saltem non satis trita inciderim; Anatomes enim hodie plurimum quidem culta est, penitus tamen exulta nequaquam adhuc esse deprehenditur. Has non minus novas quam curiosas observationes, quarum multas jam æri incisas habeo, publici juris faciendi occasionem nunc haberem, nisi operis paulo major prolixitas id fieri vetaret. Id-

circo paucas quasdam & proprias super urinas humanas captas observationes cum aliis communicaturus, conscripsi succinctum hoc de urinis inaugurale Thema; non quidem tali ordine & modo, quali ad Eruditos perscribendum fuisset, sed quali plus utilitatis Tyronibus me allaturum existimaveram. Quo si itaque Tyro Tyronibus urinarum studium aliquantulum facilitavero, habebō unde gaudeam vehementer. Dabam Viennæ Austriæ 30. Septembris 1776.





§. I.

## DE URINA IN GENERE.

**U**rina recte aquosum sanguinis Lixivium appellatur, quod fabrica renum secretum per ureteres ad Vesicam defertur, indeque excernitur, & quo ex corpore animali solidarum partium moleculæ detritæ cum salibus ac oleo acri reddito aliisque humorum particulis destructis evehuntur. Hoc saluberrimo Naturæ Instituto accidisse vel inde patet, quod a destructis per motum solidorum & fluidorum particulis, iisque in corpore animali relictis, fabrica ejusdem per-



petuo lædi, imo destrui observetur. Ex quibus jam facile perspicitur, examine Lotii multa sæpe edoceri posse Medicum, qui solícite internam corporis humani viventis conditionem expiscare conatur. ● Verumtamen cum Lotium diversissimis in morbis simile, & idem fere sæpissime observetur, simulque tunc passim aliam prognosin ac indicationem exoptulet, neque hoc tam liquido pateat nisi omnibus ceteris morbi signis compulsis: necessario ex sola urinarum scientia, neglecto toto Artis ambitu, quisque vanus & generi humano damnosus esse debet Medicus.

Chemia docet urinam constare copiosissima aqua, terra, salibusque cum oleo unitis; & demum acido peculiari microcosmico dicto cum alcali volatili in Salem ammoniacalem inspissatione ac crystallisatione ex urina copiosa obtinendum, copulato. Horum ingredientium proportio perpetuo constans non est; sed jam hoc, jam illud superabundare non solummodo in morbis, verum etiam ipsa in sanitate comper-  
tum est.



Nihilominus tamen Medicus, supra dictorum ex Chemia jam certior redditus quando ex conspecta urina de ægrotantis statu iudicaturus est, examinet oportet insuper urinæ copiam colorem, odorem, fluiditatemque; item an cum vel sine dolore aut alio incommodo prodeat? an spumam diu retineat? quæ & quanta urinæ supernatent, vel suspensa inhæreant, aut in eadem subsideant. An sit pellicula vel oleum supernatans? an Eneorema innatans? an subsidens sedimen. Sed hæc, sedimina scilicet, cum adeo differant a sese sua materia & natura, attendendum est, an sit subsidens dicta Hypostasis, an mucus, Chylus, Sanguis, pus, ichor, carunculæ, fursures, squammæ, sabulum, calculi, vermes, polypi, grumi, filamenta, cretacea meteries; bona enim horum distinctio plurimam in morbi Diagnosi interdum etiam Prognosi, affundere valet lucem. Haud minus circumspicendum est ad subjectum, sexum, ætatem, morbum, morbi tempus, an eodem in pejus ruente, an vero cum levamine fiant, & quibus alimentis potulentis aut medicamentis propinatis.

Alia-




Aliaque fere innumera perpendat Medicus, quando tute & legitime ex urina de ægri statu concludere fatagit, aut aliter artem hanc ubique fallaciæ esse plenissimam inquit Boerhaave *Inst. Med.* §. 991. Neque demum fraudum obliviscatur, quæ, quemadmodum alibi, ita & hic persæpe a malevolis ad decipiendum deridendumque eum nequissime struuntur.

§. II.

DE URINÆ COPIA.

Copia urinæ juxta est, si respondeat alimentis potulentisque ingestis; si vero superet copiam liquidorum in corpus vel per potum vel cibum vel fotum ingestorum, tunc semper mala, quia sanguinem inspissat, obstructions, acrimoniam, sitim, æstum, febrem & talem creat. Unde tamen hydropicos excipias, quibus superabundantes aquas ex corpore educendo prodesse potest. Cæterum redditur copiosa urina a copioso potu aquoso; ab usu medicamentorum diureticorum; laxitate fistularum  
uri-



 5

uriniferarum; ab imperfecta aquæ cum sanguine miscela; ab animi affectibus, & nervosa affectione hysteriarum hypochondriacorumque; a perspiratione aut aliis evocationibus & dejectionibus imminutis vel suppressis: ideo *Hippocrates* inquit *Sectione IV. Aphoris. 83.* *Mictio noctu plurima facta, parvam significat dejectionem.*

Ubi urina justo parcior aut nulla mingitur, nec alia succenturiata excretio ejus vices supplet: v. g. Sudor, salivatio, fluxus aquæ ex ulceribus scorbuticis, diarrhæa, vomitus; &c. tunc aquosa in corpore accumulata hydro-pem causant, & acria non educta affecto cerebro gravitatem, torporem, soporem, vigiliæ, deliria, tremores, convulsiones, apoplexiam, & pustulas in cute ab inflammatis & erosis vasis inducunt. Minor urinæ copia aut nulla redditur, si parum bibatur; si evocationes succenturiatæ nimium aquosæ partis ex sanguine educant: ut sunt sudor perspiratio, salivatio, diarrhæa &c. Si demum renum, ureterum, vesicæ, aut urethræ vitium sive spasmodicum, sive inflammatorium, vel pituitosum, cal-

culosum, scirrhosumve, aut aliud quodcunque comprimens vitium, etiam a pletora vel hæmorrhoidibus oriundum, ejusdem secretionem propulsionem & excretionem impediat. Urinæ hydro-picis parca malæ sunt, nisi per alia loca aquæ fluant.

§. III.

DE URINÆ COLORE.

Urinæ color ab ejusdem oleo cum aqua intime permixto flavus est, quæ flavedo ipsa in sanitate pro varia olei ad aquam proportione multum variare solet. Hinc urina pallida copiosa redita, insipida & inodora, colore vix prædita, non nisi nimia copia vesicam irritans adeoque facile retinenda, *urina potus* vocatur, quia plerumque post assumptum copiosum potum aquosum talis prodire solet. Hæc urina præterea alias adhuc causas agnoscit: est videlicet familiaris debilibus, pituitosis, frigidis, acido spontaneo laborantibus, & medicamentis diureticis præprimis aquosis utentibus. Affectus animi,

pas-



passio hysterica & hypochondriaca spasmodice constrictis tubulis urinariis aquosas & tenues partes tantum dimittunt retentis crassioribus, quod manifestum vitæ periculum non portendit, nisi sæpe redeundo sanguinem aquosa parte spoliaret, acria in eodem accumulet, sicque alios morbos inducat. Ab inflammatione renis alterutrius, aut utriusque similia fieri possunt. Sanguinis ea indoles, ut aquosa sibi misceri renuat, quoque in causa esse potest, cur aquosa reddatur urina, quod in febribus acutis ardentibus & aliis inflammatoriis non raro evenit, & summam cruditatem denotat. *Hippocrates Sect. IV. aphor. 72. ait: quibus urinæ albæ, & perspicuæ, malæ, præsertim si in phreniticis appareant.*

Ubi vero alimenta iam in Chylum conversa sunt, potus fuit moderatus, exercitium corporis una junctum, aquosa distando aquæ proportionem in urina minuunt, quæ inde redditur flava sulphurei coloris, parum foetens, parior, acrior, salsa, plusurgens. *Urina chyli audit.*



Postquam tum motus corporis validior, cum aëris ambientis æstus, & alia similia plus aquosæ partis per alias vias ex corpore disflavere, evadit urina adhuc magis colorata, straminea aut rubicundior, longe parcior, falsior, acrior, valde stimulans, diu retineri non potens.

In longa a cibo & potu abstinentia, exercitio corporis valido, motu fluidorum & solidorum continuo, calore corporis aucto, & aëris nimio sic urina rubra, flammea, acerrima, vix retinenda, stranguriosa, foetida, paucissima, qualia etiam in febrili intermittentium continuarumque febrium calore contingere intelliguntur. Flammeas & rufas & tenues urinas ut signum cruditatis in morbis acutis posuit *Hippocrates*, quæ si diu permaneat, atteri interim vires vitæ adeo, ut certamini ad finem perducendo impares fiant, tandemque succumbant. *vid. Progn. Lib. II. Nrum 30. & 31.*

Color urinæ naturalis plus minusve flavus solet interdum vario modo

inu-



mutari & depravari. Ita sanguis in  
mictu cruento colorem rubrum san-  
guineum urinæ conciliat, qui sanguis  
tamen in quiete, cum specificè gra-  
vior sit ipsa urina, subsidet. Rubram  
urinam a vino rubro redditam memo-  
rat *Bartholinus* in *Histor.* 68. *Cent. I.*  
*Boyle de specif. remed. concord. &c. pag.*  
7. narrat de fructu americano, Anglis  
*prickied pear* appellato, cujus caro ru-  
bra comesta urinam simili colore infi-  
cit. *Sloan Catalog. plant. pag.* 193. te-  
statur Opunciam majorem folio oblon-  
go rotundo spinis longissimis & vali-  
dissimis confertim nascentibus obsito,  
flore luteo, habere similem fructum,  
qui urinam rubro colore tingat, si as-  
sumatur. *Mathiolus Lib. I. Cap. CXLV.*  
*Dioscorid.* de Opuntia Indiæ orientalis  
idem refert. Rheum assumptum uri-  
nam colore rubro tingit, qui color  
multum exaltatur, si tali urinæ oleum  
tartari per deliquium instilletur. Bac-  
cæ Sambuci in pulvem coctæ & assum-  
ptæ rubram urinam reddunt; idemque  
a radicibus betæ rubræ assumptis me-  
moratur apud *Barbusen* in *Hist. medi-*  
*cinæ.*



A bile in ictero urina sæpe croceum aquirit colorem, vitra ipsa, & linteamina immissa flavo colore inficientem.

Viridis aut nigra ab atra bile, & exusto per febrem sanguine provenire dicitur; malumque indicium dat, si alia prava signa simul adsint, sine his autem nequaquam *Mag. de Haen in Rat. med. Indice pag. 274.* Viridem urinam reddi quoque ab assumta Cassiæ fistulæ pulpa notatur.

Depravatur quoque Urinæ color, si cum eadem pus, vel ichor, vel chylus, mucus calculosorum, materia cretacea seu terrestris abundans excernantur, aut demum materies hypostatica excutiatur; de quibus suo loco plura dicentur.

#### §. IV.

### DE URINÆ ODORE.

Odor urinæ recentis est illi proprius ac singularis, ab ejusdem oleo plurimum derivandus, non adeo in-

gra.

gratus, urinosus. Ab affuso oleo tartari per deliquium sal alcalinus volatilis, pungens nares ascendit, ab acido microcosmico urinæ per salem illum lixiviosum avulsus.

Urina in aëre libero calido corrumpitur citius seriusve, & turbatur, ingrateque foetere incipit. In putridis morbis urinæ in cruditate missæ sæpe per plures dies asservatæ minime foetent; sed quæ tempore criseos redduntur, frequentissime tam brevi corrumpuntur, ut vix per diem asservari possint. *Mag. de Haen. Rat. med. in Indice pag. 276.* Si urinæ crudæ, quæ diu non foetuisset, aliquantum aquæ affundas, ut nonnihil diluatur, brevi post corrumpitur, & ut putrida urina foetet. An in hoc solummodo consistit diversitas inter coctas & crudas urinas?

Putrida urina nunquam mingitur; nisi talis stagnando in Vesica, aut a pure renum corrupto evaserit, ut cum accidis mox missa effervescat. *De Haen ibidem pag. 275.* Et talis foetens



urina cum alijs evacuationibus criticis bona est , fecus mala & lethalis. *Ibid.*

A Balsamis tum artificialibus, cum nativis urina gratissimum violaceumque odorem spargit; ab Asparagis vero cœmestis fatis ingrate fœtet.

§. V.

DE VARIIS IN URINÆ SUPERFICIE NASCENTIBUS PELLICULIS.

Non raro urinæ stando in superficie sua pelliculam aquirunt, quæ, pro varietate materiæ, ex qua concrevit, variæ naturæ esse solet. Passim tamen ex urinæ contentis coagmentantur: sunt itaque arenosæ, salinæ, mucosæ, terrestres, & si unquam oleosæ pingues observentur. Ex pluribus his varia in proportione inter se commixtis, novas pellicularum species nasci posse extra omne dubium est.

*Arenosa pellicula* nascitur iis in urinis, quæ crystallos rubras (arenulas seu





seu fabulum rubrum appellant ) ad vasis parietes fundumque deponunt. Tunc tales rubræ crystalli quoque in urinæ superficie nascuntur, ad se se accedunt, & , si multæ sint , speciem pelliculæ arenosæ rubræ seu ruffæ efficiunt.

*Salinam pelliculam* eam voco , quæ alba est, ad candelam ardentem inspecta micat , cum ex meris minimis crystallis albis pellucidis componatur , quæ interdum tales sunt , ut digitis tritæ sensum instar minimarum areularum imprimere observentur. Talem pelliculam cochleari accepi , & aquæ frigidæ imposui , tunc plurimæ crystalli, ex quibus pellicula concreverat , fundum petebant figuram inæqualiter rotundam habentes , & a pauxillo acido nitri in illam aquam affuso evanescentes. Formatur talis pellicula sæpe in recenti adhuc urina , sæpe vero in jam jam putrescente.

Ex quodam in urina contento mucos haud raro species *mucosæ pelliculæ* in superficie urinæ nasci videtur. Talem ope cochlearis abstuli , & aquæ frigidæ imposui , cui instar membra-



nulæ subtilissimæ supernatabat, neque disparebat, licet acidum nitri aquæ instillassem.

*Terrestres pelliculas* eas dicendas esse puto, quæ varios passim colores reflectunt, ablatae sæpe renascuntur, ab instillato acido quocunque evanescent penitus, nec ultra regenerantur. In urinis, quæ cretaceum sedimen habent, aut quæ saltem multum materiæ cretaceæ in se solutæ continent, tales pelliculæ plerumque observantur.

Oleum urinæ cum eadem intime unitum est, unde nunquam naturaliter ab urina separatum eidem supernatat. Si tamen soluta & fusa pinguedo nimia cum urina educeretur, eique non satis unita supernataret aut innataret, malum foret signum, dicit enim *Hipp. in Progn. Lib. II. N. 35. Neque leviter terrere nos debet urina, cui pinguedo telis araneorum similis innatat, quippe quæ hominem tabe consumi significat.*

Huc refer urinam, quam conquassatam multum spumescere, & spumam in superficie diutissime retinere



videas. Notat enim se esse nimis saponaceam, in morbis acutis coctionem & crisin difficilem, morbos fere pulmonicos, aut catarrhosos in Capite. *Boerhaave Inst. med. §. 1012.*

Crustæ, quæ vasorum, urinam continentium, parietibus affiguntur, cum eisdem materiæ originem suam debeant ac ipsæ pelliculæ, superfluis proluxior sermo de iisdem esset, cum uterque hinc paries una eademque fidelia dealbari possit.

## §. VI.

### DE ENEOREMATE.

Per Eneorema id intelligo, quod in recenti urina post unius duarum aut plurium horarum spatium sub forma nubeculæ suspensæ, aut etiam fundum petentis colligitur. Si pauca materies hujus Eneorematis urinæ insit, non adparet in urina mox emissa e vesica, sed donec undique particularum suarum attractione nubeculam efficiat. Quando vero ejus abundantia notabilior est, tunc urinæ clarita-



tem jam aliquantum turbat , imo nonnunquam plane albicantem & oppacam reddit , quod in aliquot fæminis mihi observare licuit. Hæc' abundans adeo Eneorematica materies tandem fundum petit instar sediminis albi, quale sedimen cretaceum , aut hypostesis alba esse solent. Sed tamen magnum discrimen inter hæc sedimenta & grassum illud ac copiosum subsidens Eneorema intercedit ; Eneorema enim neque ab acidis affusis solvitur, neque ab oleo tartari per deliquium instillato copia augetur , neque disparet urina ad ignem calefacta , quæ tamen sedimini cretaceo & hypostasi albæ propria sunt, ut in sequentibus patebit.

Eneorema interdum arenulas rubras , interdum spicula salina splendentia , interdum filamenta aut alia corpuscula ab inspissato Urethræ vel Vesicæ mucosoriunda habet sibi irretita.

Eneorema porro , dum urina corrumpi incipit , elevatur , & per totam urinam iterum dispergitur.

Jam



Jam quæ materia est hujus Eneore-  
rematis : an mucus Ureterum, Vesicæ ,  
aut Urethræ, primo in urina attenua-  
tus, dispersus, postea vero in quiete  
se iterum attrahens ? an vero quid  
aliud?

Quoniam in urinis sanis tales nu-  
beculæ passim observentur, non est  
bonum, si in morbis acutis urinæ sine  
contento Eneoremate sint, aut quo-  
cunque alio laudabili sedimento care-  
ant. Nubeculas albas in urinis suspen-  
sas bonas dixit : *Hipp. Progn. Lib. II.*  
*N. 29.* meliores tamen sunt, si vel pe-  
nitus subsideant, vel sint saltem semi-  
suspensæ & semi subsidentes. Ideo  
etiã *Hypocr. l. c. N. 36.* inquit :  
*Nubecularum positum, supremum locum,*  
*an infimum teneant, observare oportet.*  
*Nam quæ in ima parte constituuntur*  
*cum coloribus, quos supra proposui,*  
*bonæ sunt atque laudantur; quæ vero sur-*  
*sum attolluntur, malæ, vituperandæque*  
*sunt.* Malas præterea nigras nubecu-  
las dixit *Hipp. l. c. N. 29. Magnif. de*  
*Haen* displicebant etiã illa Eneore-  
mata, quæ, seu suspensa, seu sub-  
sidentia, erant quasi in globum collecta.



## §. VII.

## DE URINARUM HYPOSTASI.

Quanquam hic terminus vi suæ  
 significationis quaecunque urinæ sedi-  
 men indicare possit, tamen eum tan-  
 tum ad illud restringo, quod in feбри-  
 bus acutis continuis, febribus inter-  
 mittentibus, febre hectica, in quo-  
 rundam scorbuticorum, imo apparen-  
 ter sanorum hominum urinis haud ra-  
 ro adparet. Urinæ autem, quæ hypo-  
 stasim formant, minguntur passim fla-  
 væ plus minusve, imo rubicundæ &  
 stranguriosæ; tamen adhuc pellucidæ.  
 Et non nisi rarius accidere crediderim,  
 ut jam turbidæ quemadmodum *Ill-van.*  
*Swieten in Coment. ad §. 734.* notat,  
 a materia hypostatica deponantur. Po-  
 stea autem ubi talis urina parum, vel  
 etiam diutius steterit, ac refrigerit,  
 turbatur & oppacatur, colorisque fit  
 aut albidus aut rucili. Tandem illud  
 quod in urina primo solum inconspi-  
 cum fuit, & postea excussum urinam  
 turbavit, subsidere incipit. Facta per-  
 fecta Hypostaseos subsidentia urina su-  
 pra

pra hypostasim clara iterum fit. Interdum urina dicto modo quidem turbatur, sed id, quod turbidam fecit, nequaquam subsidet, & tales urinæ *jumentosæ* dicuntur.

Quo citius hypostasim deponunt, tanto melius est, & contra. Omnium autem pessimum, si plane non deponant, sed *jumentosæ* maneant; nam tales in mitioribus morbis longitudinem, cruditatem magnam, & difficilem crism portendunt, in acutissimis vero certum fere interitum *Ill. van Swieten Com. in Aph. Boerhaavii ad §. 734.*

Materies hypostatica solet esse vel alba vel ex albo rubella, vel demum lateritii coloris. De prima præagit elegantissime *Hypp. in Progn. Lib. II. urina, inquit, optima est in qua per totum morbi decursum residet album, leve, æquale: hæc nimirum securitatem, brevemque morbum significat. Quod si aliquid horum deest, ut modo liquida sit, modo album leveque in ipsa resideat, hæc ut longiorem morbum denunciât, ita securitatem minorem pollicetur. De altera vero: subrubra urina, in qua subrubrum leve-*



leveque residet , quamquam superiore morbum diuturniorem , eundem tamen salubriorem fore declarat. Salubriorem scilicet , quam si nunc in ea album & leve iupsideat , mox vero iterum nihil, sed liquida ac clara permaneat. Quo hoc hypostaticum sedimen magis ad lateritium colorem accedit , aut quo magis crassum & furfuribus simile sit , eo magis vituperandum est , & majus portendit periculum. Minimum enim attritum & destructionem solidorum æque ac fluidorum indicat album, majorem subrubrum , & maximam lateritium ac crassum furfuraceum.

Hypostatica urina sequentes adhuc habet proprietates : *primo* supra ignem si incalescat aliquantum, soluto hypostatico sedimine clara fit, & refrigerata iterum turbatur, & hypostasim deponit. *Secundo* si urinae hypostaticæ aqua calida, aut urina calida, affundatur, æque inclarescit soluta hypostasi; sed refrigerata non deponit rursus solutam prius hypostaticam materiam, nisi præcesserit superabundantis aquæ evaporatio, & neque hoc semper ex voto succedit. *Tertio* etiam aqua  
fri-



frigida affusa urinam hypostaticam clarificat, sed major hujus, quam calidæ, copia requiritur. *Quarto* ab affuso acido vel alcali quocunque non impeditur materiæ hypostaticæ excussio & præcipitatio, neque jam excussa & præcipitata per illa acida vel alcalina admixta destrui valet. Ex his videtur hypostaticum sedimen in eo cum quibusdam salibus mediis convenire, quod in determinata aquæ copia solvatur, plus tamen in calida, quam frigida. Sed præterea hæc materies omnibus urinis essentialis esse videtur, cur tamen non in omnibus excutiatur, ratio in pauca materiæ hypostaticæ respectu aquosi urinæ vehiculi copia collocanda est. Unde quoque conficitur, quod ab ægris, qui multum potus aquosi assument, & vel ideo copiosas urinas reddunt, urinæ hypostaticæ, quocunque id morbi tempore contingat, expectandæ non sint. An vera est observatio, quod urinæ hypostaticæ in æstate rariores sint, quam in hyeme, & an in causa est aëris ambientis calor?

Hic loci utilem fore sequentem adnotationem existimo: *Feminas duas*



viedelicet unumque virum noveram ,  
 qui de molestissima Dyschuria acerbè  
 fapissime conquesti , sibi & Medicis  
 suspicionem calculi vesicæ moverant.  
 Urinas mingebant tamen claras , sed  
 quæ postea turbabantur & hypostassim  
 albam ac copiosam deponebant , om-  
 nes illas mox antea recensitas *quatuor*  
 proprietates possidentem. Sapone ve-  
 neto , decocto Graminis , Parietariæ ,  
 vel feminum lini , similibusque , in-  
 volventibus oleosis & mucilaginosi-  
 levati , & penitus curati sunt.

§. VIII.

DE URINÆ SEDIMENTO  
 TERRESTRI, SEU SIC DICTO  
 CRETACEO.

Anno 1761 *Lipsiæ* D. Pilling in  
 Dissertatione inaugurali *de urina cre-*  
*tacea* evulgavit casum hominis tali uri-  
 na laborantis , quem etiam lectu dignis  
 animadversionibus illustravit.

Hæc urina dum mingitur , jam  
 plus minusve turbida , ac albicans est a  
 ma-



materia cretacea in illa abundante, quæ brevi post omnis subsidet, & urina hac ratione deinceps suam naturalem claritatem adipiscitur. Ista subsidentia interdum jam in ipsa vesica contingit, & hac de causa quandoque urina primo clara, in fine vero turbida & plena cretaceo sedimento prodit. Amat talis urina sua in superficie pelliculam varios colores reflectentem per quietem acquirere. Per acidum quodcumque instillatum soluto sic omni sedimento cretaceo cum adscensione minimarum bullularum aërearum redit urinae amœna & naturalis transparentia. Ab oleo tartari contra turbatur magis, & copia sedimenti cretacei augetur. Sic cum sedimen cretaceum solvitur quoque ab acidis, & in igne distillatis volatilibus multum de terra fixa remanet.

Posteaquam per instillatum quodcumque acidum urina cretacea clara reddita fuit, in quiete ad urina superficiem, ad vasis latera, & fundum crystallos rubras excutere solet raro fallente experimento. Mirum in



modum etiam generatio harum rubrarum crystallorum seu arenularum promovetur, si urinæ quantumvis claræ minitæ, acetum, vel acidum nitri, aut aliud admisceatur. Figura harum crystalorum varia est: cubica, parallelo-bipeda, rhomboidea, cruciata ovalis, stellata &c. ad quam varietatem aliquando aliquid facit crystallorum sub varia facie & vario angulo conspectus; sed non semper. Color interdum magis interdum minus ruber aut rufus conspicitur; in aqua fundum petunt, & non solvuntur; ablutæ prius in aqua saporem nullum habent, neque in saliva liquefcunt; in igne multum terræ reliquerunt; ab affusa aqua forti solvebantur cum effervascentia; ab affuso vero oleo tartari albo colore aquisito fatifcebant in pulverem album. In omnibus his proprietatibus conveniunt cum naturalibus rubris arenulis, quas locium sponte dare solet interdum in morbis acutis, vel etiam chronicis, imo ipsa in quorundam hominum sanitate. Circa has naturales in lotio apparentes arenulas varias Auctorum sententias ac observationes collegit *Josep. Wences. Tichi in Dissert. inaug. Pragæ An-*



Anno 1775. edita de arenulis in lotio ap-  
parentibus &c , quæ vel ideo etiam  
consuli meretur.

Si urinæ claræ emissæ, vel urinæ  
a sedimento cretaceo decantatæ affun-  
datur oleum tartari per deliquium ,  
mox plus minusve turbantur , & sedi-  
men cretaceum demittunt. Interea in  
quiete ad urinæ superficiem & vitri  
latera nascuntur plerumque crystalluli  
albæ , pellucidæ , oblongæ aciculares  
fere. Si porro deposito hoc sedimine,  
urina decantetur , & ei denuo novum  
ol. tar. p. del. affundatur , non turba-  
tur ultra, neque ullum cretaceum se-  
dimen facit amplius.

Ex his de urina cretacea præco-  
gnitis licebit forsan sequentia conclu-  
dere : *primo* quod omnis urina mate-  
riam illam cretaceam , aut si mavis ter-  
restrem majore minoreve copia conti-  
neat , quamvis ita ab acido urinæ pro-  
prio , vel alio ibidem forte prædomi-  
nante , solutam , ut minime appareat ,  
antequam affuso ol. tar. p. del. , quod  
majorem cum acido quam terra habet  
affinitatem , excutiat. *secundo* quod



oleum tart. per del. cum acido urinæ post excussam terram in sale perfecte medium sub forma crystallorum albarum acicularium pellucidarum copuletur. *Tertio* quod quibusdam hominibus in urina tantopere abundet terrestris illa materies, ut illi omni solvendæ impar sit urinæ acidum; unde fit ut a terrestri materia superabundante turbida appareat urina, & deponat postea terrestre & cretaceum illud sedimentum. *Quarto* quod terrestris urinæ materies cum acido aceti, vel nitri &c. in speciem salis imperfecte medii; terrestris, concreescere amet, qui crystallos rubras vel ruffas variæ figuræ refert.

Cæteroquin urina hæc, in qua materia terrestris adeo abundat, mingitur a pluribus hominibus citra ulium incommodum, quantum novi ego, nisi esset aliquod accidentale. Neque sanitatem per hoc labefactatam observare potui, excepta forte aliqua solidorum debilitate & humorum acrimonia scorbutica, quæ se se insinuare videbantur. Utrum autem hæc urinam cretaceam præcesserint, an vero contra, affir-

affirmare haud ausim. De nocte nunquam observavi reddi talem urinam, neque summo mane; sed versus meridiem, & ab inde usque ad seram vesperam. Et hoc tempore quidem semel, bis, ter, vel etiam perpetuo talis cretacea urina mingitur. Sunt dies & septimanae, ubi nunquam turbida a materia cretacea superabundante visitur. Aegros, & Medicos ipsos, cum talem urinam satis non cognoverint, fefellit imponendo illis jam pro pure, jam pro semine & humore glandulae Prostatae, jam pro Chylo, jamque pro materie phlogistica hac via eliminata, &c.

En *Lector benevole!* has circa urinas institutas observationes ac meditationes in paucis tecum fideliter communicare conatus sum, silentio multa nondum satis perspecta praeteriturus, quemadmodum etiam ea, quae de subfidente in urina pure, ichore, sanguine, carunculis, mucos, sabulo calculoque, &c. deque urina dyschuriosa ac stranguriosa adferri possent. Persuasus enim sum te probe nosse ad quam morborum profapiem haec referenda sint, &

C 2

quo-



quomodo iisdem medendum , neque  
 te mea inexperta scriptatione indi-  
 gum esse. Profecto metuo , ne jam  
 multa forte citra necessitatem dixerim,  
 videarque tuæ diffidere sapientiæ. Va-  
 le igitur , & conatus meos , qui tua  
 & proximi commoda respiciunt,  
 æqui bonique fac,





# Explicatio Tabulæ.

---

**U**tile fore existimavi adjicere huic Dissertationi Tabulam hanc, varias formas crystallorum, de quibus in Dissertatione sermo fit, exhibentem. Notandum præterea est, quod omnes has figuras delineaverim magnitudine aucta; usus enim fuit ad hoc Lente objecta in diametro bis, in superficie quater, & consequenter in soliditate octies augente.

Fig. I.

Hæ crystalli rubræ natæ sunt in urina cretacea turbida, quam affuso acido nitri clarificavi.

Fig. II.

Rubræ crystalli variæ figuræ, in simili urina ab eodem acido affuso natæ. Etiam tales crystallos habui ab acido nitri urinæ claræ, non turbidæ ab abundante materie terrestri, instillato.

Fig. III.

In urinam claram missam ab instillato acido nitri has rubras crystallos accepi.

Fig. IV.

Acidum nitri in urinam cretaceam instillatum crystallos rubras, & multas, talis figuræ dedit.

Fig. V.

In urina clara emicta post instillatum acetum rubræ crystalli plurimæ talis figuræ.

Fig. IV.

Urina clara fuit, & ab instillato aceto tales crystalli ruffæ.

Fig. VII.

Est simile priori experimentum, & diversæ figuræ crystalli rubræ, seu potius ruffæ.

Fig.

Fig. VIII.

Urinae turbidae cretaceae acetum instillatum fuit.

Fig. IX.

Est simile priori experimentum, sed crystalli minores.

Fig. X.

Ex urina clara missa, & ab affuso aceto.

Fig. XI.

Urina turbida cretacea fuit, in qua post instillatum acetum tales crystalli crevere rubrae.

Fig. XII.

Ex urina clara cum aceto.

Fig. XIII.

Experimentum idem cum priori.

Fig. XIV.

Hoc experimentum idem est cum ultimo, sed crystalli figura nonnihil variantes.

Fig. XV. & XVI.

Urina clara, & acetum additum tales crystallos dedere.

Fig. XVII.

Exemplum habet crystallorum salinarum albarum ac pellucidarum, quae in urina nascuntur, si eidem instilletur oleum tartari per deliquium, ut praecipitetur materia terrestris in acido urinae soluta. An hic sal idem est natura sua, cum arenulis dictis *Josephi Wences. Trubi in Dissert. inaug. med. de Arenulis &c. icone II. quae adeo salutare dant signum prognosticum, certumque virium insurgentium diagnosticum?*



# THESES

Quod adipis secretio in corpore humano fiat ad mentem *III.* *Halleri* transsudatione olei ex sanguine per poros arteriarum in cellulofam per Anatomem satis comprobari non videtur.

*II.*

In Iride oculi humani fibræ musculares nec radiatæ nec circulares sunt, adeoque per easdem motus pupillæ perperam explicatur.

*III.*

Explicatio contractionis & dilatationis pupillæ per solas fibras radiatas plane implicat.

*IV.*

*Halleriana* sola vero proxima est.

*V.*

Attractio in tubulis minimis nerveis non obstat, quin in iisdem liquidum nerveum leges hydrostaticas & hydraulicas observet.

*VI.*

Unde, positis ex hypothefi fibris muscularibus cavis, idea cistæ *Mariotti* ad explicationem actionis musculorum sine errore applicari potest.

*VII.*

An, & cur possibilis hydrops Ascites in feminis, quibus tubæ *Fallopianæ* apertæ inter cavum abdominis & cavum uteri & vaginæ communicationem faciunt?



THESES

Quod spiritus sanctus in corpore humano  
non sit essentialiter unitus  
et in se non habeat naturam  
et in se non sit substantia  
et in se non sit substantia

II

In se non sunt humani spiritus  
et in se non sunt humani spiritus  
et in se non sunt humani spiritus  
et in se non sunt humani spiritus

III

Explicite non est in se  
et in se non est in se  
et in se non est in se  
et in se non est in se

IV

Intellectus non est in se  
et in se non est in se  
et in se non est in se  
et in se non est in se

V

Intellectus non est in se  
et in se non est in se  
et in se non est in se  
et in se non est in se

VII

An sit possibilis intellectus  
et in se non est in se  
et in se non est in se  
et in se non est in se



Fig. I.




Fig. II.




Fig.



Fig.



Fig. III.



Fig. IV.



Fig.




Fig. I.



Fig. V.




Fig. IX.




Fig. XIV.



Fig. II.




Fig. X.



Fig. XV.




Fig. VI.



Fig. XI.




Fig. XVI.



Fig. VII.



Fig. XII.




Fig. III.




Fig. VIII.



Fig. XIII.




Fig. XVII.



2

quodammodo  
sunt  
quodammodo  
sunt

quodammodo  
sunt  
quodammodo  
sunt

quodammodo  
sunt  
quodammodo  
sunt

quodammodo  
sunt

quodammodo  
sunt  
quodammodo  
sunt

quodammodo  
sunt  
quodammodo  
sunt

quodammodo  
sunt  
quodammodo  
sunt




2

UB Med Uni Wien



+AM274151302





[www.books2ebooks.eu](http://www.books2ebooks.eu)